

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis N. N. Universis Statibus et ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regnorum Nostrorum &c. Fidelibus Nobis Dilectis.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationum. 1704. N. 23.

CCXXIX.

Anno 1705. die 14. Maji. Viennae.

Josephus I. Rex se post mortem patris sui thronum conscendisse SS. et OO. Regni Croatiae nunciat; eisdemque SS. et OO. ad fidelitatem hortatur, sua ex parte conservationem jurium et libertatum promittendo.

Josephus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniaeque &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Comes Habsburgi, Tyrolis et Goritiae &c. Fidelibus nostris Universis & singulis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, Magnificis, Egregijs item & Nobilibus, nec non Prudentibus & Circumspectis, praefatorum Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae Regnorum nostrorum Statibus & Ordinibus Salutem & gratiam. Quandoquidem Diuinae Potentiae Eiusque inscrutabili Providentiae, quae in suis Dispositionibus non fallitur, Sacram olim Romanorum Imperatoriam ac Regiam Maiestatem Dominum Leopoldum, gloriosissimae reminiscendae Genitorem nostrum desideratissimum, die quinta modo labentis Mensis May, ex hoc transitorio saeculo ad beatae immortalitatis quietem transferre visum fuit, intermittere nolimus quin tristem hunc, qui nobis communiter accidit Casum, prout reliquis aliorum Regnorum nostrorum fidelibus Subditis nostris, ita horum quoque Regnorum nostrorum Statibus & Ordinibus dolenter significaremus. Et quia post luctuosum hunc euentum Nos, velut immediatus eiusdem condam Domini & genitoris nostri successor & haeres, praeter Sacri Romani Imperij & reliquorum Regnorum, praefati quoque Regni Hungariae & consequenter horum etiam Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae Regnorum nostrorum, vi Legum & constitutionum Patriarum benignissimique Diplomatis nostri Regij, tempore solemnis Coronationis & jnaugrationis nostrae Uniuersis Statibus & Ordinibus Clementer elargiti, feliciter simul auspicati, illudque suscepimus & iisdem gubernandis supremas